

PSALMUS 2

- 1 Quare fremuerunt gentes,
et populi meditati sunt inania?
- 2 Astiterunt reges terrae,
et principes convenerunt in unum
adversus Dominum et adversus christum eius:
- 3 " Dirumpamus vincula eorum
et proiciamus a nobis iugum ipsorum! ".
- 4 Qui habitat in caelis, irridebit eos,
Dominus subsannabit eos.
- 5 Tunc loquetur ad eos in ira sua
et in furore suo conturbabit eos:
- 6 " Ego autem constitui regem meum super Sion,
montem sanctum meum! ".
- 7 Praedicabo decretum eius.
Dominus dixit ad me: " Filius meus es tu;
ego hodie genui te.
- 8 Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam
et possessionem tuam terminos terrae.
- 9 Reges eos in virga ferrea
et tamquam vas figuli confringes eos ".
- 10 Et nunc, reges, intellegite;
erudimini, qui iudicatis terram.
- 11 Servite Domino in timore
et exsultate ei cum tremore.
- 12 Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur,
et pereatis de via,
cum exarserit in brevi ira eius.
Beati omnes, qui confidunt in eo.